

XVIII.

*Fabricius*: Ibi quidem Pelagianos verbis perstringunt, sed multo magis ipsis propositum fuit: Catholicos nova calumnia onerare, &c.

95. De Pelagianis scribit *D. Augustinus lib. de haeresibus ad Quodvultdeum*, eos in tantum Gratiae Dei fuisse inimicos, ut crediderint, sine hac posse hominem facere omnia divina mandata.

96. Et *Epistola 92. ad Innocentium*, testatur istos docuisse, posse hominem in hac vita praecipis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiae, sine adiutorio gratiae Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei iam non sit necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra.

97. Et, ut rursus habet *Augustinus*, citato libro de haeresibus: Increpatus tandem Pelagius à fratribus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiae Dei, ad eius mandata facienda, correptioni eorum haecenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens: Ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possint impleri per gratiam. — o utique, ut facilius possint: voluit credi, etiam si difficilius: tamen posse homines sine gratia divina facere iussa. Cita-